

**Disputatio inauguralis medica exhibens casum, de nimio haemorrhoidicorum mensium fluxu in virgine observato / [Emanuel Lebrecht Brandt].**

**Contributors**

Brandt, Emanuel Lebrecht.  
Jacobi, Ludwig Friedrich, -1715.  
Universität Erfurt.

**Publication/Creation**

Erfordiae : Typis Groschianis, [1710]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fzad2ys8>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Exhibens

## CASUM,

De

Nimio Hæmorrhœico Mensium Fluxu in  
Virgine observato,

Quam

FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO

RECTORE HUIUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINOPHILIPPO WILHELMO,  
S. R. I. COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSARÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO &amp; CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLESiarum, MOGUNTINÆ &amp; TREVIRENSIS CĂNONICO CAPITULARI SENIORE, &amp; respectivè SUPREMICHORI-EPISCOPO, EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORIIque ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE &amp;c. &amp;c.

CONSENSU &amp; AUTORITATE AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,

IN PERANTIQUA & ILLUSTRĀ ACADĒMIA HIERANA,  
SUB PRÆSIDIODN. LUDOVICI FRIDERICI JACOBI,  
Med. D. Elect. Mogunt. Archiatri Prof. Chym. æstumatissimī, & Facult. Med. Assessoris gravissimī Ordin. &c.

DN. PATRONI &amp; PROMOTORIS SUI omni observantia cultu prosequendi,

## PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA HONORES & PRIVILEGIA DOCTORALIA  
ritè impetrandi,*Publicæ & placide Censuræ Eruditorum offert*

EMANUEL LEBRECHT Brandt/ Cothenis-Anhaltinus.

AUTOR &amp; RESPONDENS

Loco &amp; Horis consuetis d. 17. Maji 1710.

DEO  
PATRIÆ  
PARENTI  
ET  
AMICIS.



## PRÆFATIO.

**M**edicina veterum experientia nititur, quam penitus negligere Medico haud licet: Sæpe enim in casu simplici unica experientia plus valet quam centum rationes; Et sane nulla ratio potest dari, nisi observatio rerum naturalium præcedat, sic multa experientiâ inveniuntur, quæ hætenus latuerunt, hinc non spernendi sunt, qui aliquid novi invenire tentant, sed potius laudandi, quamvis suam intentionem non semper assequuntur. Quantum igitur laborem veteres in investigandâ verâ experientiâ

adhibuerint, illorum scripta diligenter perscrutantes norunt. Majorem autem laborem recentiores Medici non solum in Seculo præterito verum etiam in præsentī, investigando intima principia rerum naturalium, addiderunt. Id quod testantur Miscellanea curiosa, Acta Hassnienſia & Anglicana &c. Hæc egregiâ ſuppellectile obſervationum (quæ in his ſat copioſè reperitur) novum lumen Medicinæ acceſſit, quod non tantum Medico, ſed & ægrotanti magnum commodum præſtat. Hæc vicè morbum complicatum rarum loco Speciminis Inauguralis conſtitui, proponere, nullus dubitans, Lectorem hunc meum conatum æqui bonique conſulturum. Cui Labori ut Numen Divinum benignè faveat atque ex alto benedicat, devotè precamur.



I. N. J.  
C A S U S.

**V**irgo quædã triginta & sex annos eirciter nata, macilentæ constitutionis temperamenti Cholerico-Sanguine, intervallo quatuor septimanarũ præprimis circa novilunium sanguinem primo nigricantem, postea floridum, & quidem post duras excretas feces alvinas, cum inflammatione intestini recti ac atrocissimis lumborum ac regionis ossis sacri doloribus sæpius cum tenesmo per alvum excernebat, simulque menstrua patiebatur, unde dolores capitis, scrobiculi cordis ac abdominis sentiebat ac urinam sanguinolentam cum sedimento rutilante emingebat, ea propter auxilium Medici implorabat, quo ab hisce vehementissimis doloribus liberaretur, ne in vitæ vel sanitatis periculum incideret.

RESOLUTIO.

TH. I.

**C**asus præsens rarus à me observatus, exhibet morbum complicatum scilicet fluxum hæmorrhoidalem dolorificum cum nimio mensium fluxu conjunctum: De quo Celeberrimus Sennertus Lib. 3. Part. 2. Sect. 2. Cap. 13. refert sequentia. Accidit hic fluxus præcipue maribus & quidem maximè in virili ætate constitutis, nonnunquam & fœminis; Novi ipse nobilem fœminam corporis constitutione sanguineam affectioni tamen hypochondriacæ obnoxiam, singulis mensibus ordinariè & quidem diè

post menstruum fluxum decimo quarto hæmorrhoides patiebatur. Ex quibus conjunctis morbus manifestatur duplicatus, hinc indagazione censetur dignus : Minimè autem in censum morborum tales fluxus veniunt, neque Medici auxilium requirunt, nisi in excessu vel defectu peccent ; Sed potius in maribus fluxus hæmorrhoidalis (qui juxta *Hippocratem Sect. 3. Aphor. 30.* inter morbos viriles numeratur) & in fœminis legitimus menstruorum fluxus valde salutaris ac sanitati proficiuus statuitur. Vid. *Doleus*, *Ettmüllerus*, *Junckenius* & *Waldtschmidius*. Tales fluxus autem immodici, vel excessivi, præprimis simul conjuncti, vitæ atque sanitati maximopere insidiantur, ut in præsentī virgine videre licuit.

TH. II.

Morbi hujus complicati definitionem, quo tractanda eò melius elucescant, præmittimus. Est scilicet sanguinis tam nigricantis quam floridi pervasa uterina ac hæmorrhoidalia vel partim ex arteriis hypochastricis & hæmorrhoidalibus, partim ex venis à ramo splenetico ortis, præternaturalis excedens effluxus ab apertura vasorum sangviferorum dependens. De quâ definitione præmissa ad particularia transimus.

TH. II'.

Cum Virgo triginta & sex annos nata, otio atque quieti maximè indulgeret, hinc ab humoribus acribus coacervatis circa ordinarium eruptionis tempus summos ac atrocissimos abdominis lumborum ac intestini recti sentiebat dolores; Quo magis enim sexus fœmineus corpus commovet, eo magis humores serosi fluxiles redduntur, quapropter nul-

ium

lum inde incommodum fluxus menstrui percipit ; sed potius à morbis immunis servatur , verum cum in præfenti virgine contrarium occurreret, miserrime hiscè conjunctis fluxibus affligebatur.

TH. IV.

Et crasso victus genere diverso insuper utebatur, & omni manè Aquâ vitæ tum etiam cerevisiâ fæculenta & secundaria delectabatur ; Nihil autem magis sangvinem in crassare aptum est , quam cibi crassi comesti, ut & potulenta fæculenta ; Quo pertinet intempestivus spiritus vini usus , quæ omnia sangvinem ac humores fundunt, & tandem acriores reddunt, unde arteriarum venarumve nimix distensiones ac solutiones continui in ano & utero facile subsequuntur : Eò magis cum hæc Virgo in consistente ætate viveret , in quâ ejusmodi affectus sunt maximè familiares ; Nam notum, quod quælibet ætas suos peculiare morbos ducat : Morbi enim nobiscum generantur ac nos tanquam satellites mortis ad ultima vitæ tempora comitantur. Ut *Excellentissimus Stahl in Dissertatione Medicâ de Fundamentis Morborum Ætatum* habitâ fusiùs deduxit.

TH. V.

Erat præterea nostrum subjectum macilentæ constitutionis , quæ multum huic potuit contribuire, nam tales homines vasis sangviferis gaudent amplioribus, adeo ut vasa sangvifera nimium distendantur à copiosiori sangvine, qui etiam facile in illis subsistit : Præprimis dum nimis lentè transit & propter acrimoniam solutionem continui minatur. Fluxu enim hæmorrhoidali nimio vel menstruis excessivis laborantes , ut plurimum macilentæ constitu-

stitutionis esse observantur: Pinguiores autem constitutionis homines vasis nimis coarctatis gaudent, adeo ut præ carnositate nimia vix vena vel arteria in conspectum prodeat, interim tamen utrumque genus manes patitur suos. In sexu foemineo arteriae hæmorrhoidales ac venæ tanquam sociæ cum venis arteriisve uterinis magnam cognationem inter se habent, nam uterus intestino recto incumbit, ac de sanguine isto participat; Hic fluxus hæmorrhoidalis propterea facile in nostrâ Virgine cum menstruis accidere potuit: Dum enim vasa uterina sanguine abundante repleta fuerint, simul vasa hæmorrhoidalia etiam replentur, & pro ratione sæcum alvinarum, istarumque expressione ea simul comprimuntur, ut hinc aperiantur, ac si sanguis effluat. Exemplum sequens ad illustrationem hujus rei spectat; Dum Jenæ studio Medico incumberem, Fur quidam opilio gracilis constitutionis ob furtum commissum in patibulo suspensus, Theatro Anatomico Jenensi traditus atque concessus est, in cujus intestino recto vasa hæmorrhoidalia sanguine turgida inveniebantur, qui procul omni dubio hæmorrhoidum fluxum fuisset passus, si ipsi diutius vivere fuisset datum.

TH. VI.

Tandem quoque in hac Virgine temperamentum Sanguineo-Cholericum fuit, proclivè scilicet ad hos immodicos fluxus; quod autem sic constituta fuerit ex habitu corporis graciliore, colore tamen florido, ex rubicundo simili totius corporis exterioris statu vel aspectu probatur: Imò ad iram valdè proclivis erat, pilis subnigris crispis ornata, ex hisce omnibus signis

gnis elucescebat temperamentum Sangvineo-Cholericum mixtum : Particulæ enim acres biliosæ ac salinæ abundantes præ cæteris prædominium obtinebant , unde ad assumendum cibum ac potum sat valens, verum ad ritè chylicandum valdè debilis erat ejus ventriculus, propterea ob defectum humidi fæces alvinæ duræ evadebant, ac sua incommoda excitabant. Vid. *Clariss. Stahl, Dissert. Med. de Temperamentis*. Id circo citra nimiũ dolorem ac apertionem vasorum fæces ex nostro subjecto excerni haud poterant , nam pressione earum sanguis ibidem coarctabatur & simul exprimebatur. Quandoquidem constat, quo vasa sangvifera magis distenta, eo lentius sanguinem circulari, necesse est, ac quo latius arteriæ à corde distant , eo minor humorum motus in eis sentitur ob supra adductas rationes : Hinc sanguis ob minorem motum acrior redditur, & stagnatio ac apertura vasorum inde sequitur : Non aliter igitur fieri potuit, quin ob acrimoniam biliosam affectus hic complicatus fuerit excitatus.

TH. VII.

Quid Luna positione sua ac diversa phasium suarum constitutione in hoc malo complicato excitando valeat, non ignorant ii, qui phases ejus attendendo, observationes inde dependentes, diligenter observant. Nonne à positione ac lunæ phasibus in terra decrementum ac incrementum plantarum aliorumve animalium dependet ? Nonne Purgantia in novilunio assumpta, fortius ac vehementius operantur, quam alio tempore propinata, quæ, licet fortiora, lenius evacuant ? Vid. *Trill. Tractatus de Officio*

*Medici aliique.* Nonne infans in utero materno inclusus egressum circa novilunium & quadrantem molitur? Sic & menses circa istud erumpunt; Ratio plerumque ex compressione aëris desumitur, uti Hieronymus Fabricius ab Aquapendente tradit. Hæmorrhoides quoque insimul hoc commodi habent, quod menses provocent, & faciliores ad fluxum reddant. Sic etiam circa novilunium tempestates alterantur vel mutantur.

TH. IIX.

Si Astronomos, qui lunæ planetarumve operationes in corpora terrestria accuratè observant, consulimus, centenas observationes de plantis, fructibus, animalium hominumque generatione, decremento ac incremento annotatas reperimus. Cum autem ad scopum nostrum haud faciunt, lubens illas prætereo, quippe res temere haud multiplicanda. Vid. *Weig. & Hamb.*

TH. IX.

Sanguis enim purus, interdum nigricans, mox floridus conspiciebatur, ex cuius colore vasorum sangviferorum diversitatem hariolari licet: Venas enim atrum, arterias vero floridum plorare, assertum commune est; Hinc procul dubio in nostro subiecto tales fluxus, partim ex arteriis, partim ex venis originem traxisse, concludi potest; Quomodo vero sanguis ab arteriis venis comunicetur, inter doctos magna est controversia, quam composuit Clarissimus Junckenius in Fundamentis Medicinæ Eclecticis ac Blanckardus in sua Anatomia reformata, ad quos libros benevolum Lectorem remitto.

TH. X.

Quibus præmissis facile deduci potest , unde inflammatio intestini recti in nostra ægrota cum aliis subsequenter symptomatibus oriatur , hæc enim denotat nihil aliud, quam vasorum capillariorum intestini recti obstructionem : Et cum intestinum rectum lumbis & osi sacro sit allegatum , simul hæ partes compatiantur, necesse est, imò dolores ibidem obviū ortum habent.

## TH. XI.

Sic & in nostrâ ægrotâ tenesmus indicat humorum acrimoniam in intestino recto hærentem & vellicationem præternaturalem musculi sphincteris, quæ sæpe familiaris hæmorrhoidali fluxu laborantibus est, imò egerendi conatus partim ab acido, partim ab humore acrisalino excitatur, unde dolor pungitivus ac scindens oritur.

## TH. XII.

Dolor capitis, abdominis ac lumborum in nostra ægra observabiles, ob consensum nervorum ac ligamentorum uteri lumbis alligatorum, ortum habebant, uterus enim nervis , arteriis ac venis abundat, adeo ut affecto utero per consensum simul reliquæ corporis partes afficiantur, uti *Clarissimus Rodericus à Castro de Morbis Mulierum pag. 150.* tradit sequentibus : Nil mirum, si utero affecto , afficiantur etiam reliquæ partes principes, hisceque mediantibus universum corpus ; Siquidem cum illis maximum habet consensum cum cerebro nimirum per spinæ membranas ac per nervos, cum jecore, mediantibus venis ; Cum corde, mediis arteriis : Cum intestinis & vesica, vicinitate: Cum ventriculo, septo

transverso: Liene ac pulmone partium continuitate ac etiam per occulta tunc temporis spiracula. Unde non mirum, quod non solum caput doleat, sed etiam Abdomen ac lumbi sua incommoda sentiant.

TH. XII.

Urina sangvinolenta in conspectum veniebat, non sic in renibus secreta, sed in vagina uteri sanguine conspurcata & mixta, à quo colorem sanguineum acquisiverat, unde etiam signum est peculiare diagnosticum instantis eruptionis mensium urina talis sangvinolenta, præcipue dum sedimentum aliquod rutilans infundo subsedit, ut in præsentì Virgine videre est, nam urina præterfluens colore sanguinolento tingitur.

TH. XIV.

Quod concernit causas mediatas horum symptomatum ipsiusque morbi, inter illas præcipuæ fuerunt, quod Virgo nostra multum cibi acidi salini ac visceri assumserat, hi enim summam acrimoniam sanguini ac humoribus inferunt, unde dolores, Inflammatio ac alvus adstricta ortum duxerunt. Negligebat etiam masticationem tanquam opus necessarium concoctionis, qui enim bene ingerit & bene digerit, & egerit, sanus erit: Cum itaque contrarium in præsentì Virgine acciderit, sanitas destructa fuit: Ira etiam nimia huic morbo & symptomatibus ansam addere potuit. Ut & fermentum ventriculi depravatum, nec non turbata humorum commotio, & inde nata cacoehymia. Plethora enim vix sola peccare hic solet, sed in consortium simul trahit cacoehymiam, quæ ad apparentiam & vasa distenta quidem

quidem datur , at ad existentiam realem valde disceptatur.

TH. XV.

Immediatæ causæ sunt venarum arteriarumve nimia distensio ac vasorum cognatio & inflammatio & per consequens præternaturalis apertio : Sic ob consensum nervorum dolebant abdomen lumbi , ac caput, nam uterô affectô, cæteræ corporis partes simul compatiuntur : Fœminæ enim ac Virgines omnes morbos ob uterum bis patiuntur , ut testatur Casus præsens. Vid. *Dolæus, Helm, & Sennertus.*

TH. XVI.

Hæc affectio plurimorum malorum sæpius etiam mortis causa existit , nam & deformitatem ac miseram vitam inducit, juxta *Aëtii Terrab. 4. Serin. 2. Cap. 3.* Deformitatem quidem propter coloris totius vitiationem ex evacuatione succedentem ; Miseram vero vitam propter corporis debilitatem , nam non vivere sed valere est vita. Ex duplici itaque morbo duplex periculum imminet , adeò ut de salute periclitetur ægra, nisi vitæ genus mutet : Nam quo diutius duranti fluxus, partim per alvum, partim per genitalia, eo difficiliorem postmodum curationem admittunt ; Immoderati tales fluxus juxta *Dolæum* plurimorum morborum fontes , sæpius etiam hæmorrhoidibus diu fluentibus fistulæ inducuntur an pag 525. moderati vero sanitati conducunt, ac à morbis chronicis præservant : Bonū signum in chronicis morbis est, si fœminis vel maribus fluxus tales sanguinei eveniunt, & semper spes salutis inde affulget ; Menses in fœminis non rarò signorum fontes existunt : Hos enim rectè se habere in omnibus fœminei

sexus morbis bonum est. Similiter de hæmorrhoidibus notandum, has in ætate multorum morborum causam continentem tollere, v. gr. Apoplexiæ teste *Hipp. item Melancholiæ atque Phrenitidis Sect. 6. Aphor. 11. & 12.* modo non sint excessivi.

TH. XVII.

Positis itaque fundamentis ad curationem ipsam in nostra ægra feliciter institutam transeamus: Probè enim Contraindicantia ac Indicantia distinguenda & attendenda erant, ne temerariâ applicatione remediorum ægrotanti plus obsumus, quam prosumus, nam non omne id, quid indicatur, absolute est exequendum. Quatuor Indicationes in præfenti morbo complicato sese offerebant: 1. Ut primæ viæ evacuentur ac purificentur. 2. Sanguis ac humores temperentur ac corrigantur. 3. Vasa præternaturaliter aperta leniter constringantur. 4. Et majora symptomata, quantum possibile, avertantur.

TH. XIX.

Indicationi primæ satisfecerunt leniora purgantia, drastica enim videbantur suspecta ob temperamentum cholericum & acrimoniam præsentem: prudentis enim Medici est, ut non statim ubique ad medicamenta fortia deveniat, nisi fortè debiliora contulerint, juxta Mæfueum; Charissimus Dn. Parens in Praxi suâ per annos quinquaginta & quatuor hâc methodo semper felici cum successu usus est: Hinc in talibus casibus partim complicatis, partim separatis præscripsit leniora purgantia, à fortioribus verò abhorruit. Inter quæ, quando exigebat alvum movendi necessitas, potissimum Rhabarbarina, Galapina, ac Scammoneata diversis formulis præ-

præscripta, & quidem in mitiori Dosi propinata fuerunt, secundum sequentes formulas.

℞. *℥ niii diaph.*

*Arcani duplicat. ā. gr. vj.*

*Galap. pulv. gr. viij. M.D. Pulv. pro Dosi.*

manē assumendus, & per tres horas ab omni cibo abstinere debuit, ne nimis citò alvus constipetur, nam in eo potissimum cæcarum ac fluentium hæmorrhoidum curatio consistit, quo alvus lubrica fervetur, ne demum compressione fæcum alvinarum vasa hæmorrhoidalia comprimantur, ac cum sanguine effluente sumis doloribus afficiatur ægra: Præstat enim in omni morbo, ut alvus laxa fervetur, & si purgante id fieri nequit, clystere expedientum erit. Vid *Clarissimus Dn. Hoffm: Fil. in Fundamentis Medicinæ pag. 206.* de cautelis practicis, vel si placeant pillulæ, sit Formulâ.

℞. *Resin. Galap.*

*Scamm. ā. gr. iij.*

*Rhabarb. elect. scrup. ss.*

*Merc. dulc. gr. vj. M. Incorp. rob. sambuc. D. pro Dosi. matutino tempore.*

TH. XIX.

Sæpe sequens etiam enema injiciebatur ex herbis emollientibus ac leniter adstringentibus, vasaque hæmorrhoidalia consolidantibus.

℞. *Rad. alth. dr. iij. Symphit. dr. j.*

*Herb. chamomill. Verbasci, Melilot. ā. M. j.*

*F. Decoct. post: adde olei olivar. cochl iij. vel iij.*

*Sachar. dr. iij. Indebatur.*

vesicæ fuillæ ad præscriptum usum. Potest etiam Clyster ex brodio carnis vitulinæ cum Therebinth.

cum

cum vitell. ovi conquassata , ac parum sachari confici & per instrumentum injici. Semper Charissimus Dn. Parens meus in immodico mensium ac hæmorrhoidum fluxu Enemata ac leniora purgantia in praxi sua saluberrima observavit.

TH. XX.

Sic quoque secundæ Indicationi respondebant felici cum successu sequentia, Terreæ & Alcalina & Volatilia, ut sunt Antimoniata, Nitrosa, Corallia, conchæ ac oculi cancerorum præparati, imò quoque decocta varia ex herbis sangvinem temperantibus, quæ erant Salvia hortensis, Veronica, Betonica, Rosmarinus, Carduus benedictus, Bellis minor, Agrimonia, Scordium, chamædris, chamæpithis, Malva, Chamomill. & Mentha crispa, ex quibus herbis pro ratione circumstantiarum vel Decocta vel Infusa parabantur. Sic & Animalia nobis copiosam suppellectilem remediorum hîc exhibuerunt, quibus pro ratione status morbi usi sumus, v. gr. Millepedes hirundines ac lumbrici terrestres, & ex his parata medicamina: Ex quibus Formulæ etiam sequentes fuerunt præscriptæ:

℞. *Antimon. diaph.*

*Arcan. duplicat. ʒ. scrup. ʒ*

*Conch. præpt.*

*Ocul. cancr, præpt. ʒ. scrup. j.*

*Mandibul. Luc. gr. viij.*

*Sal. polychrest. dr. ʒ. M.D. pro 3. Dos.*

Manè & Vesperi in Jusculo calido vel in aquâ cardui benedicti vel Florum Sambuci exhibebatur.

℞. *Menth.*

℞. *Menth. crisp.*

*Fumar.*

*Card. benedict.*

*Veronic. Scord. ā. m. j.*

*Rad. angelic. Helen. ā. dr. iij.*

*Fl. Sambuc. Chamomill. ā. m. β. superfundebantur*

*m. ij. ∇ æ Fontanae ac usque ad dimidiam partem coque-  
batur: Datus manè haustus cum Essentia lumbricorum  
terrestrium ad gutt. 20.*

TH. XXI.

Ut tertiæ indicationi satisfaceret, sequentia mar-  
tialia ac alia varia terrea adstringentia in usum vo-  
cabantur, nempe unicornu fosile & marinum, Co-  
callia, Rubrica fabrilis, Terra Sigillata, Catechu,  
Bolus armena, NM. Mastix, Tragacanthum, Rad.  
Tormentill. Symphit. majoris, ex his formulæ præ-  
scriptæ fuerunt pro exigente ac urgente necessitate  
n- & externè applicandæ. Inter præparata potis-  
imum censebatur sequentes Tincturæ v. gr. Tinct.  
vitriolata, Tinctura Antiphthifica ex Sachari Satur-  
ni cum ☩to præparata, item sequens compositum:

℞. *Essent. Træ Catech.*

*Anod. ā. dr. β.*

*℞tus ℞ li gutt. x. M. D. pro Dos. gutt. xvj. in ce-  
revisia.*

Simul etiam umbilico applicabantur theriaca cum  
oleo menth. crispæ mixtas, perinaeum itidem hoc-  
ce linimento vel Balsamo peruviano vel de guabaja  
illinebatur: Et intestinum rectum probè fovebatur  
vaporibus calidis, unctuosâ viscida fugienda erant,  
ad præcavendas obstructions, Inflammationes, &

C

similia,

similia. Nec omittebantur sympathetica : Scrophularia nudo ventri alligata tanquam remedium expertissimum : Cæcas hæmorrhoides enim aperit & earumque dolores extemplo sistit, qua de re videatur *Clarissimus Ettmüllerus in Praxi.*

TH. XXII.

Venæsectio verò in hocce malô complicato locum haud inveniebat, præprimis cum ægra adeo emaciata existeret, ut vix osibus hæreret, & notabilem virium defectum pateretur, siquidem ab omni cibo ac potu per longum tempus abhorruerat. Hic propter vires collapsas Medico haud licuit Venæsectionem instituire, etsi alias revulsiones gratiâ fuisset proficua.

TH. XXIII.

Sic ad quartam indicationem complendam adhibita fuere Cordialia ac Confortantia in forma Infusionis, Mixturæ vel Pulveris v. gr.

℞. *Aquæ lil. convall.*

*Beton.*

*ros.*

*Flor. tilia s. vino.*

*Cinnamom. cydoniat. ā. ʒ. iß.*

*Ocul. cancr. præpt.*

*Succin. præpt. ā. dr. j.*

*Syrupi corall. unc. ij.*

*M. D. S. Stärkende Mixtur, alle Stunden i. Löff voll zugeben.*

℞. *Amyga*

℞. *Amygdal. dulc. excorticat. unc. ℥.*

*Semin. papav. alb. dr. ij.*

*Semin. 4. frigid. maj. ā. dr. ℥.*

*℥ a ros. fragrant.*

*borrag. bugloss. ā. unc. iiii.*

F. l. a. Emulsio, edulcoretur s. q. rotul. manus Christi perlat. adde Olib. prunell. Corall. rubr. præparat. dr. ℥. M. S. Emulsio confortans pro beneplacito ægrotantis assumenda.

## TH. XXIV.

Inferviebat etiam diætæ exactissimæ præscriptio: Aërem crassum, nebulosum ac borealem vitabat: à cibis & potulentis acidis, acerbis fæculentis ac austeris abstinebat: Motus & Quies, Somnus & Vigiliæ, erant moderata: Animi pathemata vehementia fugiebat, præprimis Iram terrorem ac mæstitiam coërcebat: Et tali methodo ægra præsens convaluit, & aliæque ægrotantes fœminæ vel virgines huic malo obnoxia incolumes ac sospites bonô cum DEO evadent. DEO T. O. M. pro Be-

nignitate hâc concessâ sit Laus Honor  
& Gloria in Sempiternum.

Amen.



# COROLLARIA.

I. Non dantur medica menta universalia specifica.

II. Nec dantur universale dissolvens ut Helmontius suo Alkaest intendit singula corpora dissolvere.

III. Sæpius opiniones hominum plus efficiunt quam ipsa medicamenta.

IV. Vulnere cordis consensu omnium medicorum censentur lethalia.

V. A solo externo usu pinguedinis anserinæ in alvo adstricta frustraneus expectatur effectus.

VI. Opiatis ne abutantur caveant sibi Medici pro artis fama.

